convertit. Et dum de Castro Luci veniens Ravennae civitatem ingredi voluit, intrare per custodes Portae Adrianae non est permissus, sibique dictum fuit, ut expectaret tantum, quod licentia dicti Domini Guidonis impetraretur. Quo verbo admirans Archiepiscopus cum prius, et sine licentia civitatem ingrederetur, dedignatusque, equorum fraena revolvens Lucum reversus est, et nusquam apud sponsam ejus Ursianam Ecclesiam resedit, quam tamen pauca quidem residentiae consolatione visitarat. Dum autem ibi pecuniis indigeret, misit Nuncios ad dictum Dominum Guidonem, ut ei mille Ducatos mutuaret, eique Castrum Luci pro pignore spopondit; quo Guidone nuncios archiepiscopi in longum ducente per verba, idem Pileus ad Dominum Nicolaum Marchionem Estensem sapientia, virtutibus, et potentia Virum Illustrissimum nuncios pro eodem negotio destinavit. Quod audiens Marchio praelibatus ei dictam pecuniam celeriter mutuavit, et Luci